

XXIV. Ultimo faciunt difficultatem in hac parte quædam loca S. Thomæ. Nam in iv, distinct. xv, quæst. i, art. ii, solutione ad primum dicit duo. Primum, quod: « Sicut offensa habuit quamdam infinitatem ex infinitate divinæ majestatis, ita et satisfactio accipit quamdam infinitatem ex infinitate divinæ misericordiæ, prout est gratia informata, per quam acceptum redditur, quod homo reddere potest: » secundum est quod: « Aliqui dicebant, quod peccatum quantum ad aversionem satisfieri potest virtute meriti Christi quod quodammodo infinitum fuit, sed hoc (inquit D. Thomas) in idem redit, quod prius dictum est, quia per fidem mediatoris gratia data est credentibus, si tamen alio modo gratiam daret, sufficeret satisfactio per modum prædictum. »

XXV. Ubi clare habetur, quod gratia præstat infinitatem quamdam, sicut peccatum habebat ex offensa divinæ majestatis, et quod virtute meriti Christi, non amplius habet homo ad satisfaciendum, quam gratiam, ita quod si aliunde eam haberet, eodem modo satisfaceret, sed virtute meriti Christi præbet homo satisfactionem sufficientem; ergo etiam ex gratia, et si aliunde haberetur, quam per Christum. Et idem dicit S. Thomas in quarto ad Annibaldum, distinct. xv, quæst. i, art. i: « Alii, inquit, dicunt, quod quantum ad aversionem satisfieri potest pro peccato virtute meriti Christi, sed contra hoc est, quod etiamsi meritum Christi non intervenisset, et alio modo daretur homini gratia, posset utique satisfacere, » et in tertio, distinct. xx, quæst. i, art. ii ad primum ait: « Quod in statu innocentiae posset homo ad æqualitatem satisfacere: » et in tertio ad Annibaldum, distinct. xx, quæstione unica, art. i ad primum, quod ibi videri potest.

SECUNDA SENTENTIA VAZQUEZ.

XXVI. Secunda sententia est partis Vazquez in præsentī disputatione ii, cap. v, qui censet cum præcedenti sententia contritionem, ut informatam gratia, esse de se sufficientem satisfactionem pro peccato, quantum ad injuriam offensæ, et malitiam, quam habet, cæterum aliunde esse insufficientem, quia non potest omne debitum peccati exhaurire, nam secundum sanctorum patrum sententiam, præsertim S. Cælestini papæ, Prosperi, et Fulgentii, per peccatum primi parentis omnes perdidimus sanctam cogitationem, et contraximus debitum perpetuo carendi illa: unde non solum perdidimus per peccatum gratiam sanctificantem, qua constituimur in amicitia Dei, sed etiam omnem gratiam excitantem, qua moveri possumus, et inchoare motum tendendi ad justificationem. Quare cum contritio, seu opus charitatis non possit in nobis procedere, nisi ab aliquo auxilio excitante, et sancta cogitatione, necessario supponit datum tale auxilium ante omnem satisfactionem, et meritum; nec potest pro illa obtinenda contritionem, seu satisfactionem offerre; ergo non potest contritio, et satisfactio nostra, etiam ex gratia procedens, omne debitum peccati exhaurire, videlicet debitum carendi gratia excitante; et consequenter non potest esse sufficiens et æqualis satisfactio. E contra vero satisfactio Christi, qua meruit nobis primam gratiam, et auxilia, et obtulit Deo condignum pretium pro illis obtinendis, et pro remissione peccatorum, et gratia, fuit perfectissima satisfactio, utpote omne debitum peccati absolvens.

XXVII. Sed quia poterat fieri a Vazquez argumentum de homine

puro, qui non meretur remissionem proprii peccati, sed alterius hominis, tunc enim non videtur currere ratio facta, quia et si nullus possit sibi mereri gratiam primam, pro debito illo carendi gratia excitante satisfacere, non tamen ostenditur, quod non possit mereri alteri primam gratiam, et satisfacere pro peccato alterius, etiam quantum ad hoc debitum, præsertim si puro homini communicaretur gratia capitis, citra unionem ad Personam divinam.

XXVIII. Huic difficultati aliunde occurrit Vazquez disput. iv, cap. v, et se torquet in reddenda sufficienti ratione; in summa autem dicit duo, alterum est, quod homo purus non potest mereri alteri primam gratiam et auxilia ad resurgendum a peccato, nisi per gratiam, vel adoptionis, vel unionis: gratia unionis est ipsa incarnatio, et sic non manet homo purus, gratia autem adoptionis quantumcumque intensa, non potest alteri mereri primam gratiam condigne, quia est ejusdem speciei cum nostra gratia, quæ solum determinata est ad merendam vitam æternam: alterum est, quod neque ex pacto aliquo Dei, neque ex aliqua perfectione intensiva gratiæ potest fieri gratia capitis, ut meretur alteri primam gratiam. Non ex pacto, quia est hoc extrinsecum, et non mutat naturas rerum, neque dat valorem condignum actui, non habenti illum ex se, sed solum esset satisfactio ex acceptione, non ex augmento perfectionis, quia quantumcumque crescat gratia, non mutat speciem: ex sua autem specie solum est determinata, ut sit meritum condignum gloriæ; ergo non potest esse meritum condignum primæ gratiæ respectu alterius. Quare negat Vazquez, quod gratia possit mereri alteri primam gratiam, quia non meretur gratiam alteri, ed sibi, et sibi non potest mereri

omne debitum peccati, quia saltem primam gratiam mereri non potest, ita claudicat ex hac parte satisfactio puri hominis.

TERTIA SENTENTIA S. THOMÆ.

XXIX. Tertia sententia est S. Thomæ, et communiter Thomistarum, quod satisfactio puri hominis, non potest esse ad æqualitatem pro offensa, etiam propria, sed exigi ad id satisfactionem Dei hominis, qui non solum erit æqualis, sed etiam superabundans, unde simpliciter æqualis reperiri non potest. Et quod attinet ad D. Thomam, licet ipse variis locis, varias assignaverit rationes, cur purus homo non posset ad æqualitatem satisfacere, videtur tamen omnes collegisse, et expressisse in tertio sententiarum, distinct. xx, quæst. i, artic. ii. Inquit ergo D. Thomas: « Ad hoc ut satisfactio esset condigna, oportebat quod haberet virtutem infinitam, quia peccatum pro quo fiebat, habebat infinitatem quamdam ex tribus. Primo, ex infinitate majestatis divinæ in quantum offensa fuerat per contemptum inobedientiæ; quanto enim major est, in quem peccatur, tanto est gravior culpa: secundo ex bono, quod per peccatum auferebatur, quod est infinitum, scilicet ipse Deus, ejus participatione fiunt homines beati: (vide infinitatem ex parte ultimi finis derelicti): tertio, ex ipsa natura, quæ corrupta erat, quæ quidem infinitatem quamdam habet, in quantum in ea possunt supposita in infinitum multiplicari; actio autem puræ creaturæ, non potest habere infinitam efficaciam, et ideo nulla pura creatura poterat sufficienter satisfactionem facere: » et articulo quarto inquit: « Quod ex parte Dei fuit alius modus possibilis nostræ liberationis, quia ejus poten-

tia limitata non est, quem si elegisset, convenientissimus fuisset; non tamen habuisset rationem redemptionis, sed liberationis tantum, quia liberatio non fuisset facta per solutionem pretii. »

XXX. Sentit ergo D. Thomas, quod etiam ex parte solutionis pretii, et valoris rei oblatae, non est sufficiens alius modus satisfactionis nisi per Christum. Et in tertio ad Annibaldum, distinctione xx, articulo III: « Non potuit genus humanum aliter redimi, nisi per incarnationem, et passionem alicujus Personae divinae. » Et in hac quaestione, articulo secundo ad secundum non minus id expressit faciens illam consequentiam: « Peccatum contra Deum commissum quamdam infinitatem habet ex infinitate divinae majestatis; tanto enim offensa est major quanto major est ille, in quem delinquitur. Unde oportuit ad condignam satisfactionem, ut actus satisfaciens haberet efficaciam infinitam, utpote Dei, et hominis existens. » In qua consequentia loquitur sanctus doctor de satisfactione condigna, non de conditionibus requisitis ad rigorem justitiae, et pro illa condignitate requirit efficaciam infinitam, et hanc explicat, quod sit Dei, et hominis; ergo omnis alia efficacia infinita ex parte objecti, vel aliunde sumpta, quam ex parte Dei, et hominis, non est condigna. Hæc sententia communiter etiam inter Thomistas recipitur. Videatur magister Medina in præsentis super istum articulum secundum; magister Cabrera, disput. XII; Suarez disp. IV, sectione IX; Lorca in præsentis articulo II, disput. IV; Alvarez disp. VI, et alii multi.

XXXI. Totum autem fundamentum hujus sententiæ consistit in hoc, ut explicemus quænam sit illa quædam infinitas, quam peccatum habet ex infinitate divinae majesta-

tis, quam D. Thomas in singulari non explicat in hoc articulo. Possimus enim variis modis hanc infinitatem considerare, scilicet, an sit simpliciter infinita, non quidem simpliciter in genere entis (de hoc enim nullus dubitat) sed infinita simpliciter in genere injuriæ, et æstimationis personæ offensæ; an vero solum sit secundum quid. Item, an sit infinitas intrinsece conveniens peccato; an solum per denominationem extrinsecam; an proveniat ex objecto, ad quod tendit peccatum, et a quo specificatur; an ex aversione, seu privatione, quam importat; vel ex quo alio principio desumat hanc infinitatem: et quomodo stat malitiam peccati esse finitam, injuriam vero infinitam. Hæc omnia longam postulabant disputationem, si sigillatim discutenda essent. Cæterum, quia in hoc loco non tractamus de peccatis, eorumque quidditate, sed de satisfactione pro eorum injuria, et læsione requisita in ordine ad Deum, ideo breviter hæc explicanda sunt.

PROBABILITER PECCATUM DICITUR INFINITUM SIMPLICITER.

XXXII. Dico ergo infinitatem peccati esse infinitatem in ratione injuriæ, (et potest probabiliter defendi, quod sit infinitas secundum quid tantum; et potest etiam dici, quod sit appellandum simpliciter infinitum) quæ quidem non est simpliciter infinita, si ly simpliciter sumatur pro eo quod omnibus modis est tale; constat enim, quod etiam in ratione injuriæ potest multis, ac diversis modis attingere divinam majestatem, et consequenter quodlibet peccatum non omnibus modis, nec summo modo est injuria. Si autem ly simpliciter sumatur, pro eo quod est absolute, et sine addito, aut diminutione tale, sic pec-

catum potest dici simpliciter infinitum in ratione injuriæ, eo quod simpliciter attingit infinitam majestatem, non quidem ex parte objecti ad quod peccatum convertitur, sed ex parte aversionis, ut tangit personam, a qua fit aversio.

XXXIII. Pro hujus declaratione est notanda, duplex doctrina S. Thomæ. Prima est, III parte, quæst. I, art. V, quod ly simpliciter tale potest dici duobus modis: « Uno modo secundum quod simpliciter est idem, quod absolute, sicut simpliciter dicitur, quod nullo addito est tale: alio modo, simpliciter tale, est idem quod omnino, vel totaliter tale: » secunda est I-2, quæst. LXXIII, articulo primo, quod: « Persona in quam peccatur, est quodam modo objectum peccati; gravitas autem peccati attenditur ex parte objecti, ex quo quidem tanto attenditur major gravitas in peccato, quanto objectum ejus est principalior finis; » ubi sanctus doctor personam offensam non ponit esse simpliciter objectum; sed quodammodo, id est, quia induit modum objecti, quatenus ex illo aggravatur injuria peccati in ratione injuriæ, quia cum omnis injuria sit læsiva alicujus juris, et jus semper est in personis, oportet, quod ipsa persona cujus jus læditur, attendatur quodammodo, ut objectum peccati, in quantum est læsivum juris. Et quanto persona aliqua est dignior, tanto crescit ipsum jus, quod habet, ne contemnatur, et dehonoretur, sive dehonoriatio ista sit consecuta, sicut in omni peccato consequitur ex aversione; sive sit intenta, sicut in peccatis specialibus, ut blasphemiam, indignam tractationis rerum divinarum, in quibus Deus specialiter dehonoriatur dehonoratione intenta, et non solum consecuta.

XXXIV. Dicimus ergo, quod cum jus divinum, ut honoretur a creatu-

ris rationalibus sit fundatum in summa ejus majestate, et dignitate, injuria attingens hoc jus pertinet ad ordinem infinite superantem omnem dignitatem creatam, et non solum superantem, sed etiam lædentem omnes dignitates creatas, ex eo quod lædit jus divinum. Et ex hac parte habet sufficientem rationem, ut in genere injuriæ dicatur simpliciter, et absolute, id est, sine addito injuria infinita, quia lædit infinitam majestatem tali modo quod sufficit ad lædendum omnem multitudinem creaturarum, et consequenter dignitatem creaturarum, non tamen lædit ipsam majestatem Dei omni modo, quo injuriabilis est, et ex parte hac deficit ab infinitate simpliciter, prout ly simpliciter est idem quod omnibus modis tale.

XXXV. In hoc discursu solum restat probare, quod ille, qui lædit divinam majestatem per injuriam, ex hoc solum, quod divinam majestatem lædat, attingat omnem multitudinem creaturarum, ita quod ratione hujus crescat illa injuria infinite simpliciter. Hoc autem probatur ex singulari doctrina S. Thomæ 2-2, quæst. LXV, articulo IV, ubi inquit: « Quod quanto aliqua injuria in plures redundat, cæteris paribus, tanto gravius est peccatum, et inde est, quod gravius est peccatum si quis percutiat principem, quam privatam personam, quia redundat in injuriam totius multitudinis. » Sic S. Thomas, unde sumitur argumentum, et confirmatio præfatæ doctrinæ. Nam injuria facta principi, ex eo est gravior, quam injuria facta homini privato, quia injuria principis redundat in injuriam totius multitudinis: princeps si quidem est caput totius multitudinis, et consequenter summum totius multitudinis, atque adeo eo læso læditur tota multitudo. Cum ergo Deus sit princeps omnium creaturarum in infi-

nitum omnes excedens, qui injuriam infert Deo, redundat ejus injuria in totam multitudinem creaturarum, etiamsi omnes possibles essent productæ per impossibile; omnes enim quantum est de se, sufficiens est peccatum injuriare, et consequenter induit infinitatem injuriæ simpliciter, quia attingit infinitas creaturas injuriando, licet modus injuriæ ex parte injuriantis, et in modo lædendi Deum in præceptis suis, et displicendi ipsi possit crescere magis vel minus, secundum quod injurians majori conatu peccat, aut circa majus objectum, seu præceptum.

XXXVI. Dices: Similiter charitas attingit bonitatem divinam, ut est in se infinita, et religio colit dignitatem infinitam primi principii, et tamen, quia modo finito attingunt, non dicuntur simpliciter infinitæ, sed secundum quid; ergo etiam peccatum ex eo quod offendat Dei majestatem infinitam, solum habet infinitatem secundum quid, non autem simpliciter, cum in modo attingendi finitatem habeat. Similiter charitas ad infinitas creaturas extendi potest, quia diligendo Deum, potest charitas diligere infinitas creaturas propter Deum; ergo in hoc pari passu currit cum infinitate injuriæ peccati: atque adeo, sicut charitas non potest dici infinita simpliciter, ex eo quod objectum infinitum attingit, sic neque peccatum dicitur injuria simpliciter infinita, sed solum secundum quid.

XXXVII. Sed contra est, et explicatur amplius doctrina tradita, ut clare videatur differentia inter virtutes attingentes Deum in se, et peccatum dehonorens Deum in se. Nam virtutes, quæ tendunt in Deum, etsi attingant bonitatem ejus, aut intelligibilitatem, vel etiam infinitatem, ut in Deo est, ut tamen se accommodat finitæ capacitati, et modo creaturæ, et non ut in omni sua in-

finitate assequibilis est, aut ad infinita participabilis. Cæterum peccatum cum non tendat in Deum, sed deserat, et contemnat illum, non deserit ipsum, prout se accommodat capacitati istius creaturæ, aut illius, sed absolute totam majestatem Dei postponit creaturæ, et ita deserendo attingit infinitatem ejus, quia attingit illam, ut caput est omnis multitudinis creaturarum, et consequenter ut infinite participabilis, taliter quod ipsa dehonoreatio peccati ita infinitatem Dei attingit, quod redundat in multitudinem infinitam creaturarum, atque adeo ex hac parte superat modum infinitatis virtutum theologialium, aut gratiæ, secundum valorem, æstimationemque in genere injuriæ. Neque est similis extensio charitatis ad infinitas creaturas amandas, quia charitas solum habet motivum amandi infinitas creaturas, quia propter Deum potest amare omnia referibilia in Deum, sicut fides potest credere infinita credibilia ex auctoritate divina.

XXXVIII. Cæterum hæc infinitas est syncategorematica, quia scilicet potest non tot amare, quin plura, non tamen unico actu amat infinita, aut credit infinita. Peccatum autem dehonorendo Deum, ita dehonoreat ut infinitum, quod redundat injuria in infinitam multitudinem. Sed est in hoc differentia alia notanda inter peccatum, et amorem Dei, seu visionem beatificam, quod cum visio sit tendentia positiva ad infinitum objectum, si semel ita tenderet, quod redundaret visio in infinita objecta, simpliciter esset omnibus modis infinita, et comprehensiva Dei, quia non posset ad infinita derivari, nisi physica virtute causam penetraret. At vero cum peccatum attingat Deum deserendo ipsum, et sic injuria solum in valore, et æstimatione morali ipsum

attingat, et inde ad creaturas derivetur, non solum attenditur iste modus attingendi, ut sit omnibus modis simpliciter infinitum, puta peccatum, sed etiam aliæ circumstantiæ attenduntur in morali æstimatione, quæ pluribus, ac diversis modis corrumpi possunt, et secundum illos diversos modos dicitur lædi et dehonoreari infinita majestas ac deseri; proindeque ex hac parte non quodlibet peccatum injuriat, quantum injuriabilis est, nec omnia peccata sunt paria, ut in solutione argumentorum dicitur. Et hæc dicta sint in gratiam hujus sententiæ, et modo philosophandi de infinitate peccati simpliciter, quæ est sententia valide probabilis, defenditurque a magistro Vincentio Asturicensi relectione de gratia Christi, pagina 301, pro eaque citat varios auctores, licet in omnibus non ita probent ejus sententiam.

PROBABILITER INFINITAS PECCATI DICITUR SECUNDUM QUID.

XXXIX. Secunda pars conclusionis, quod est probabile infinitatem peccati esse dicendam secundum quid, a pluribus auctoribus tenetur, et tribui solet Soto in III, distinct. XX, quæst. II, §. Contra ea, et indicatur a magistro Soto in IV, distinct. XIX, quæst. I, artic. II ad primum, defenditurque a magistro Nazario in præsentia controversia prima, et a patre Suarez in præsentia disput. V, sess. VII, §. Nihilominus contraria sententia, videtur congruere cum modo loquendi D. Thomæ, qui in hoc articulo secundo dicit peccatum habere quamdam infinitatem, et ly quamdam potest in duplici sensu accipi. Uno modo, quia solum est in quodam determinato genere, et non simpliciter in omni genere: et sic accipit prima sententia;

alio modo, quod solum est secundum quid, et non simpliciter etiam in proprio genere, et sic accipit iste secundus modus dicendi, non tamen convincit primum sensum non esse admittendum.

XL. Explicatur vero ista pars, quia in peccato solum est reperire duo. Alterum est malitia moralis; alterum est ratio injuriæ, quæ inde consequitur contra Deum. Et quidem malitia moralis sumitur per conversionem ad objectum dissonum rationi, cum aversione a fine recto, et ita includit contrarietatem ex parte objecti, et privationem ex parte aversionis, ad regulas rationis. Et hæc duo intrinsece conveniunt peccato, et per denominationem intrinsecam, sicut motui convenit intrinsece ordo conversionis ad terminum ad quem, et privatio termini a quo, quem relinquit, ratione ejus privative ei opponitur. Ratio autem injuriæ non consistit proprie in aliquo intrinseco ipsi peccato, sed est quædam moralis æstimatio, quæ lædit jus alienum, non quidem physice tollendo, aut positive inferendo aliquid personæ habenti jus, sed secundum moralem æstimationem lædere censetur, non servando id, quod tali juri debetur; ex hac enim privatione resultat moralis quædam æstimatio, contraria debitæ æstimationi talis rei, et non fundatur hæc moralitas in aliqua humana impositione, seu taxatione, sed in illa privatione debitæ observationis, qua posita resultat ipso facto indebita æstimatio, et moralis indignitas personæ, cui debebatur contraria æstimatio. Et sic, quia non est aliquid realiter, et positive personam tangens, nec resultans ex positiva aliqua ratione in peccato, sed ex privatione ejus, quod debetur personæ, dicitur esse quasi extrinseca moralitas.

XLI. Infinitas ergo ex parte

malitiæ moralis in peccato admit-
tenda non est, sed solum in genere,
et ratione injuriæ, quamvis Asturi-
censis ubi supra, etiam ex parte ma-
litiæ moralis infinitatem aliquam
invenerit, non quidem quatenus op-
ponitur bono morali debito homini
ipsi; sic enim constat, quod illud
bonum infinitum est, quia bonitas
moralis, virtus finita est, et licet
privet hominem assecutione ultimi
finis, qui est Deus, et bonum infinitum.
Qua etiam ratione agnovit D.
Thomas infinitatem aliquam in pec-
cato in tertio, distinct. xx, tamen
infinitas hæc est objectiva, et extrin-
seca, et non invenitur in ipsa for-
mali assecutione, quæ finita est
semper, sed in ipso bono assecuto
extrinseco, et sic semper manet in-
finitas secundum quid, scilicet ex
parte finis extrinseci, et ex parte for-
mæ privatæ, a qua sumitur, quod sit
simpliciter tale. Asturicensis au-
tem putat peccatum, non solum
privare bono morali ipsi homini de-
bito, sed bono morali debito toti
intellectuali naturæ, in qua Deus
includitur, et cujus bonum morale
infinitum est. Cæterum ista consi-
deratio non videtur sufficiens ad
infinitatem proprie, et determinate,
sed solum analogice, et in confuso,
quia intellectualis natura, ut com-
prehendit Deum, et creaturas intel-
lectuales, non est positive infinita,
sed abstractiva; abstrahit enim
analogice a finito, et infinito. Ex
hoc ergo, quod peccatum sit contra
naturam intellectualem, ut sic, so-
lum sequitur, quod sit contra bo-
num intellectuale infinitum, analo-
gice, et indeterminate, et in com-
muni, quod est esse infinitum se-
cundum quid, non autem opponitur
bono morali determinate, ut infini-
to, et prout est bonum Dei, sed bo-
num morale hominis.

XLII. Considerando ergo pec-
catum ex parte injuriæ, qui defen-

dunt esse solum infinitum secun-
dum quid, nituntur in duobus. Pri-
mo, quia ratio injuriæ est solum
extrinseca quædam denominatio in
peccato, et consequenter reputatur
tamquam infinitas secundum quid;
quando enim prædicatum aliquod
potest convenire intrinsece, et ex-
trinsece, sicut est ly infinitum, ei
cui convenit extrinsece, secundum
quid dicitur convenire absolute lo-
quendo. Sed hoc non multum pro-
bat, quia fatentur oppositi auctores,
quod ista infinitas comparata ad
infinitatem in toto genere entis, vel
in ratione infinitatis extrinsecæ,
potest dici secundum quid, id est,
minor illa. Quæstio tamen præsens
procedit de infinitate peccati in eo
genere in quo est infinitas, scilicet
in genere injuriæ, an in illo genere
sit secundum quid, vel simpliciter.

XLIII. Et ideo secundum fun-
damentum additur, quod pater Sua-
rez prosequitur, scilicet, quia infi-
nitas hæc in genere injuriæ potest
crescere in peccato, et est major in
uno, quam in alio; ergo signum
est infinitatem non esse simpliciter
adhuc in genere injuriæ, si quidem
in hoc genere potest crescere, et
minui. Atque ita licet offenda-
t Deum, qui est simpliciter infinitus,
tamquam objectum offensionis, ta-
men inde solum habet objectivam,
et extrinsecam infinitatem, quia
sicut hoc objectum finite cognoscit
simpliciter loquendo, ita et finite
odit, vel amat, et ad illud converti-
tur, vel avertitur; ergo simpliciter
dicendum est peccatum finitum, et
secundum quid infinitum; eo quod
ut attingatur objectum infinitum,
non requiritur infinitas simpliciter
in actu, sed sufficit quod sit altioris
ordinis, quam infiniti actus attingentes
objecta inferiora finita. Sicut
visio beata est altioris ordinis attingendo
Deum in se, et non habet in-

finitatem simpliciter, sed solum ex-
trinsece, sicque excedit infinitas
cognitiones inferiores circa objecta
finita. Et de hoc amplius dicitur in
solutione argumentorum.

XLIV. Tertia vero pars conclu-
sionis positæ, quæ communiter te-
netur a Thomistis, et a patre Sua-
rez citato probatur, quia valor cha-
ritatis, et gratiæ, sumitur ab ipsa
forma charitatis, et secundum for-
malem effectum, quem subjecto præ-
bet, sic est ejus valor; formalis au-
tem effectus, quem præbet subjecto,
opponitur peccato, quatenus est pri-
vatio rectitudinis debitæ subjecto.
Illud autem, quod ex peccato con-
sequitur, scilicet læsionem juris di-
vini, et moralitatem offensæ, chari-
tas, et gratia non attingit secundum
valorem quem præbet subjecto, et
actui ab eo procedenti, sed secun-
dum quod procedit a remissione di-
vina, cujus effectus est gratia. Quo
sensu Cajetanus dixit in præsentem
gratiam, et charitatem satisfacere
pro peccato ex acceptione divinæ
misericordiæ, a qua procedit. Itaque
gratia habet duo: « Unum est esse
effectum remissionis divinæ, et pro-
cedere a Deo offensam remittente, »
ut dicit S. Thomas 2-2, quæst. cxiii,
articulo vi ad secundum, sicque in
suam gratiam recipientem peccato-
rem: aliud est dare homini rectitu-
dinem, et elevare ad esse superna-
turale, et ad altiorem ordinem, acti-
busque ab ea procedentibus hunc
valorem tribuere. De quo videri po-
test S. Thomas 1-2, quæst. cxiii,
art. i et ii. Et ista duo possunt sepa-
rari in gratia, quia licet gratia sem-
per habeat pro effectu formali ho-
minem justificare, id est, eum fa-
cere justum, et ei tribuere rectitu-
dinem, quæ est justitia generalis,
cui opponitur peccatum in ratione
malitiæ, ut dicit S. Thomas loco ci-
tato, et quæst. xxviii de veritate,
art. i, tamen aliquando invenitur

sine remissione peccati, scilicet,
quando infunditur non peccatori, ut
amoveat culpam, sed ut elevetur ad
ordinem gratiæ, ut monet ibi san-
ctus doctor solutione ad duodeci-
mum. Et quidem gratia secundum
quod importat effectum divinæ di-
lectionis, et placationis offensam
remittentis, habet valorem ad tol-
lendam rationem offensæ in vi talis
dilectionis, et ut subest illi.

XLV. Unde ad gratiam perti-
net tollere peccatum, etiam in ra-
tione offensæ secundum quod sub-
jecto confert remissionem peccati,
procedendo a Deo, ut effectus gra-
tuitæ dilectionis, et placationis il-
lius; unde habet pro effectu formali
intrinsece tollere offensam, non
quomodocumque, sed per modum
gratuitæ remissionis, et non aliter,
quia gratia non tollit offensam, nisi
ut est effectus procedens a gratuita
dilectione Dei remittentis peccatum;
ergo neque confert subjecto hunc
effectum formalem, nisi per modum
gratuitæ condonationis, neque enim
confert illum, nisi ut gerens vices
illius dilectionis gratuitæ, cujus est
effectus, et a qua procedit; unde
dicit S. Thomas, quæst. xviii de
veritate, artic. ii ad sextum: « Quod
hoc ipsum, quod est Deum non im-
putare nobis nostra delicta, ex con-
sequenti relinquit in nobis aliquid,
per quod a reatu prædicto digni-
sumus absolvi, et hoc est gratia. »
Solum ergo pertinet ad illam, tolle-
re rationem offensæ formaliter gra-
tuito, non tollere offensam formaliter
satisfactive.

XLVI. Considerata autem gratia,
secundum quod ponit in homine
justitiam, quæ est ordo, et rectitudo
rationis in esse supernaturali, ele-
vatque hominem ad ordinem super-
naturalem, sic valor iste gratiæ, qui
ex rectitudine ista morali, et super-
naturali primo procedit non est suf-
ficiens, et æquale pretium pro pec-